Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26050
Copyright: Admont, Benediktinerstift



pauperibus loqueretur. Quod uni horum fecistis michi fecistis.

Dominica xviii. Sermo ex commentariis Rabani.

Elegit Lisias Ptolomeum filium dorimini et nicanorem et gorgiam uiros potentes ex amicis regis antiochi. et misit cum eis quadraginta milia uirorum et septem milia equitum. ut uenirent in terram iuda et disperderent eam. Quid per lisiam nisi fastus mundanus designatur. Qui per tres uiros hoc est tres ordines persecutorum bellum xpi ecclesie ingerit. hoc est per paganos per hereticos et falsos xpianos. Quibus subrogantur quadraginta milia uirorum et septem milia equitum. ut disperdant terram iuda secundum uerbum regis. Quid per quadragenarium numerum nisi uniuersitas temporum designatur quibus persecutiones in mundo tolerat ecclesia. Quatuor principales etenim sunt partes orbis. hoc est oriens. occasus. septentrio. et meridies in quibus dilatata consistit ecclesia. quam ut congregaret filius dei descendit in mundum. Vbi ante passionem suam quadraginta diebus et xl noctibus ieiunauit. ut ostenderet temptationem nostram in carne sua quam de nostra mortalitate assumere dignatus est participare uoluisse. Vnde ab hora mortis eius usque ad diluculum resurrectionis quoque eius constant hore xl si ipsa nona connumeretur. post resurrectionem quoque non amplius quam dies xl cum discipulis in hac terra esse uoluit huic eorum uite ad huc humana conuersatione commixtus. et cum illis alimenta mortalium quamuis iam non morituris accipiens. ut per ipsos xl dies significaret se occulta presentia quod promiserat impleturum quando ait. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Per